



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvrghensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Puechberg

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

Monasteriens. desolata & per voraginem ignis consumpta ac paulatim erecta legitur, prout luculenter circa muros vestigia edocent. Super quibus igitur bonis fundata modernis temporibus cernitur, pro maiori parte nomine tenus cum anno soluendorum censuum per partes officiorum celariis & oblaj qui cupidus horum studiosa mente percurritur, reperiet distincte & ad manum sub vno induito.

Puechberg

Hainricus Dei gratia Comes Palatinus *Remi dux Bavarie.* Vniuersis presentium inspecturis declaramus, quod cum fidelis noster *Vlricus* Dapifer de *Eckenmül* montem qui de *Puechberg*, quem a nobis tenebat in feodo cum suis pertinentiis nostris manibus libere resignasset nos pio ducti desiderio montem ipsum cum omnibus attinentiis donauimus & tradidimus iure proprietario in perpetuum Ecclesie *Monasteriens.* quam ratione iuris patronatus speciali tenemur amplecti gratia & fauore. In huius ergo donationis memoriam & stabilem firmitatem, presentem literam eidem Ecclesie dedimus nostri sigilli munimine roboratam cum testibus subnotatis, quorum nomina sunt hæc: *Frid. de Perge, Vlric. dapifer de Ekenmul. Sifrid de Sigmborn. W. de Frauenberch. H. de Puechberg. O. & Al fratres de Strubing. Hainricus* Notarius & alij. Actum in *Haidarv* anno domini M. CC. LX. pridie Idus Iunij.

Reibersdorff.

Nos *Eberhardus* Dei gratia Præpositus *Monasterien. Ratisbon. dioc.* Notum facimus vniuersis presentibus inuenientibus, quod cum Capitulum eiusdem *Monas. Ecclesie* *Conrado* dicto *Prular*, exhibitori presentium quandam piscariam *Ribrechtsdorff* ad præbendam eiusdem Capituli pertinentem in feodo contulisset, petiuit a nobis vt ex officio Præposituræ nostræ ratam concessionem huiusmodi haberemus. Nos igitur petitioni suæ condescendentes quidquid per prædictum Capitulum eidem *Conrado* in prænotata piscaria est concessum liberaliter in idem consentimus & iuxta formam comprehensam in privilegio sigillis domini *Leonis* venerabil. Episcopi *Ratisbon.* nec nõ eiusdem Capituli communicato ratum habere volumus in futurum. In cuius rei testimonium presentem schedulam sigilli nostri robore fecimus communiri. Acta sunt hæc año M. CC. LXVIII. In die beatorum *Procesi & Martiniani.*

Holzwachs.

Nos *Heinricus* Dei gratia, Ecclesie *Ratisbonen.* Episcopus & *Heinricus* Dei gratia Palatinus Comes *Rheni, dux Bavarie* notum facimus omnibus presentia inspecturis, quod constituto in presentia nostra *Brunone* de *Brennenberch* accepta quadam pecuniæ quantitate, probato primum per sacramentum suum quod quicquid habebat in villa, prope mansionem Canonicorum dictam *Monasterium* apud *Strubing* proprietatis seu allodialis titulo obtineret, ipsum totum cum omnibus sibi inibi attinentibus redditibus iuribus & aliis quibuscunque cum quæsitis & inquirendis pratis, pascuis, siluis & agris Canonicis *Monasteriensibus*, tradidit & donauit perpetuo possidenda; renuncians omni iuri & actioni quod sibi competere poterat aut suis posteris in futurum. Vt igitur talis traditio seu donatio sine calumnia vt pote rationaliter facta procedat